

www.e-rara.ch

Caii Svetonii Tranquilli Opera Quæ Exstant

Suetonius Tranquillus, Gaius

Basileæ, M DC LXXV

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-25541>

[Titus]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.


e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



TITUS cognomine paterno,
 * amor ac delicia generis humani,
 tantum illi ad promerendam omnium
 voluntatem vel ingenii, vel artis, vel
 fortunæ superfuit: & quod difficillimum
 est, in Imperio, quando privatus, atque etiam sub
 patre Principe, ne odio quidem, ne dum vituperatione
 publicâ caruit.

Amor ac delicia generis humani. Quid
 superbius? Majestas Principes vix
 unquam deserit, sed ex iis nullus tan-
 tum adeptus est titulum, quantum
 omnium consensu Titus est consequu-

tus. Quod exemplum Princeps quivis
 sibi imitandum ducet, ut majestatem
 clementiâ temperet ac fulciat. Absit &
 absit longè à Principe optimo tragica
 illa Caligulæ vox, *oderint, dum metuant.*

2. Natus est III. Kalend. Jan. insigni anno Cajanâ nece, prope Seprizonium, sordidis ædibus: cubiculo verò perparvo, & obscuro: nam manet adhuc, & ostenditur. Educatus in aula cum Britannico simul, ac paribus disciplinis, & apud eosdem magistros institutus. Quo quidem tempore, ajunt, metoposcopum à Narcisso Claudii liberto adhibitum, ut Britannicum inspiceret, constantissimè affirmasse: *illum quidem nullo modo, ceterùm Titum, qui tunc propè adstabat, utique imperaturum.* Erant autem adeò familiares, ut de potione, quâ Britannicus haustâ periit, Titus quoque juxta cubans gustasse credatur, gravique morbo afflictatus diu. Quorum omnium mox memor * statuam ei auream in Palatio posuit, & alteram ex ebore equestrem, quæ Circensi pompâ hodièque præfertur, dedicavit, profecutusque est.

3. In puero statim corporis animique dotes exsplenduerunt: magis ac magis deinceps per ætatis gradus, forma egregia, & cui non minus auctoritatis inesset, quàm gratiæ: præcipuum robur, quamquam neque procerâ staturâ, & ventre paullò projectiore: memoriæ singularis, docilitas ad omnes ferè tum bellum tum pacis artes. Armorum & equitandi peritissimus, latinæ græcæque linguæ, vel in orando vel in fingendis poëmatibus promptus, & facilis ad extemporalitatem

Statuam ei auream. Vides familiaritatem quæ Britannicum inter Titumq; intercesserat, hujusq; erga illum optimè de se meritum gratum animum. Hinc tot statuæ illi positæ: Sed & nummos

in ejus memoriâ cudisse in promptu est suspicari, præsertim cum & ab aliis olim culos toties restituerit, optimi Imp. indicium, quod si præ cæteros Tito atq; Trajano convenit.

usquè : sed ne musicæ quidem rudis , ut qui cantaret & psalleret jucundè scientérque. E pluribus comperi , notis quoq; excipere velocissimè solitum , cùm amanuensibus suis per ludum jocúmque certantem imitari chirographa quæcumque vidisset : ac sæpe profiteri , *se maximum falsarium esse potuisse.*

4. Tribunus militum & in Germania & in Britannia meruit summâ industriâ, nec minore modestiâ, & famâ : sicut apparet statuarum & imaginum ejus multitudine , ac titulis per utramque provinciam. Post stipendia , foro operam dedit , honestam magis quàm assiduam. Eodémque tempore Arricidiam Tertullo patre equite Romano , sed præfecto quondam prætorianarum cohortium , duxit uxorem : & in defunctæ locum * Marciam Fulviam splendidi generis : cùm qua, sublatâ filiâ divortium fecit. Ex Quæsturæ deinde honore legioni præpositus , Tarichæam & Gamalam urbes validissimas Judææ in potestatem redegit : equo quadam acie sub feminibus amisso , alteróque incenso , cujus rector contra se dimicans occubuerat.

Marciam Fulviam. Ita substituo pro FVRNIELA, FVRVILLA, aliisque corruptis, ut arbitror, nominibus, ex codice antiquo, & interpretum fide; sed præ-

cipue ex hoc antiquo Numismate, cui nihil refragari potest. Novi porro FVRNIVM, FVRNIAM, FVRNILLAM, apud Antiquos legi.



Æ



5. Galba mox tenente Rempublicam missus ad gratulandum, quâqua iret convertit homines, quasi adoptionis gratiâ arcesseretur. Sed ubi turbari rursus cuncta sensit, rediit ex itinere: aditôque * Paphiæ Veneris oraculo, dum de navigatione consulit, etiam de imperii spe confirmatus est. Cujus brevi compos, & ad perdomandam Judæam relictus, novissimâ Hierosolymorum oppugnatione XII propugnatores totidem sagittarum confecit ictibus: cepitque eam natali filix suæ, tanto militum gaudio ac favore, ut in gratulatione IMPERATOREM eum consalutaverint, & subinde decedentem provinciâ detinuerint, suppliciter nec non & minaciter efflagitantes, *ut remaneret, aut secum omnes pariter abduceret.* Unde nata suspicio est, quasi desciscere à patre, Orientisq; regnum sibi vindicare

Paphia Veneris oraculo. Illius frequens est mentio apud Veteres: Celebre fanum habet Veneris Paphos, in cujus quamdam aream non impluit, inquit Plinius, lib. 2. cap. 96. Cui sanguinem offundere vetitum, precibus & igne puro altaria adolent, nec ullis imbribus, quamquam in aperto, madescunt: nec fuerit longum initia religionis, templi situm, formam Deæ, neque enim alibi sic habetur, paucis differere. Simulacrum Deæ non effigie humanâ, continuus orbis latiore

initio tenuem in ambitum, meta modò exurgens, & ratio in obscuro, sicuti ex Tacito, libr. 2. histor. colligitur. Figuram istius templi, areæ, Deæ videre mihi contigit in nummis Drusi, Vespasiani, Trajani, Hadriani, Sabinæ, Severi, Juliæ, Caracallæ, Getæ aliorumque Impp. è quibus Vespasiani nummum hîc apponendum censui. Qui plura de Venere Paphia desiderat, videat nummos nostros æreos pag. 80. vel ipsum Tacitum.



tentasset. Quam suspicionem auxit, postquam Alexandriam petens, in consecrando apud Memphim bove Apide diadema gestavit: de more id quidem ritūque priscæ religionis: sed non deerant, qui feciūs interpretarentur. Quare festinans in Italiam, cū Rhegium, deinde Puteolos onerariā nave appulisset, Romam inde contendit expeditissimus: inopinantiq̄ue patri, velut arguens rumorū de se temeritatem, *Veni, inquit, pater, veni.*

6. Neque ex eo destitit participem, atque etjam tutorem Imperii agere. * Triumphavit cum patre,

Triumphavit cum patre. Vespasiano provincia cum exercitu à Nerone oblata est, inquit Sueton. in Nerone cap. 4. cujus ope bellum adversus Judæos suscepit: Inchoatum vocatus ad imperium commisit filio Tito: Res egregiè peracta est Hierosolymarum oppugnatione, quam & suis vulneribus nobiliorem sibiq; gloriosiore Titus reddidit. Idem merito triumphavit cum Patre, dicatis utrisque numismatibus, communem eorum gloriam asserentibus. De celeberrimo triumpho Judaico mira scripsit Josephus, de bell. Jud. lib. 7. cap. 16. è quo præcipuè excerptimus quæ ad interpretationem nummorum ex ære mediocri faciebant, pag. 147. Hinc arcus

ille Titi superbissimus quem in Urbe nuper vidimus. Prætermittere hic non possum inscriptionem antiquam in Circo, superiori sæculo repertam, quam Boissardus suppeditat, Gruterusque, pag. 244. adeò marmor istud hunc Suetonii locum explicat.

IMP. TITO CÆSARI DIVI VESPASIANI F.
VESPASIANO AVG. PONTIFICI MAXIMO
TRIB. POT. X. IMP. XXII. COS. VII. P. P.
PRINCIPI SVO
S. P. Q. R.

QVOD PRÆCEPTIS PATRIS CONSILIIQVE ET
AVSPICIS GENTEM JVDÆORVM DOMVIT ET
VRBEM HIEROSOLYMAM OMNIBVS ANTE SE
DVCI BVS REGIBVS GENTIBVSQVE AVT FRVSTRA
PETITAM AVT OMNINO INTENTATAM DELEVIT.



censuramque gessit unâ. Eidem collega & in tribunitia potestate, & in septem consulatibus fuit. Receptaque ad se propè omnium officiorum curâ, cum patris nomine & epistolas ipse dictaret, & edicta conscriberet, orationesque in senatu recitaret, etiam Quæstoris vice, præfecturam quoque prætorii suscepit, numquam ad id tempus nisi ab equite Rom. administratam, egitque aliquantò incivilius, & violentius. Siquidem suspectissimum quemque sibi, submissis qui per theatra & castra, quasi consensu ad poenam deposcerent, haud cunctanter oppressit. In his A. Cæcinam consularem virum, vocatum ad cœnam, ac vixdum triclinio egressum, confodi jussit: sanè urgente discrimine, cum etiam chirographum ejus præparatæ apud milites conjurationis deprehendisset. Quibus rebus sicut in posterum securitati satis cavet, ita ad præsens plurimum contraxit invidiæ: ut non temerè quis, tam adverso rumore magisque invitis omnibus transierit ad principatum.

7. Præter sævitiam, suspecta in eo etiam luxuria erat: quòd ad mediam noctem commissationes cum profusissimo quoque familiarium extenderet. Nec minùs libido, propter exoletorum & spadonum greges, protèrque insignem reginæ Berenices amorem, cui etiam nuptias pollicitus ferebatur. Suspecta & rapacitas: quòd constabat in cognitionibus patris nundinari præmiarique solitum. Denique propalàm alium Neronem & opinabantur & prædicabant. At illi ea fama pro bono cessit, conversaque est in maximas laudes: neque ullo vitio reperto, & contra virtutibus summis. Convivia instituit

instituit jucunda magis quàm profusa. Amicos elegit, quibus etiam post eum Principes, ut & sibi & Reipublicæ necessariis, acquieverunt: præcipuèque sunt usi. * Berenicen statim ab Urbe dimisit, invitam. Quosdam è gratissimis delicatorum, quamquàm tam artifices saltationis, ut mox scenam tenuerint, non modò fovere prolixius, sed spectare omninò in publico cœtu supersedit. Nulli civium quidquam ademit: abstinuit alieno, ut si quis unquàm: ac ne concessas quidem ac solitas collationes recepit. Et tamen nemine ante se munificentiam minor. Amphitheatro dedicato, thermisque juxtà celebriter exstructis, munus edidit apparatusissimum, largissimumque. Dedit & navale prælium in veteri naumachia. Ibidem & gladiatores: atque uno die quinque millia omne genus ferarum.

Berenicem. Longum esset BERENICES omnes enumerare; Beronice apud Justinum, *lib. 37.* legitur, Bernice apud Josephum, *lib. 20. antig. Jud.* Restituitur nomen hoc numismate uxoris Ptolemæi Lagi, quos conjuges nummi lapidesque ΘΕΟΥΣ ΣΩΤΗΡΑΣ nominant, parentes ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ Ptolemæi Philadelphi & Arsinoes. Edidit Cl. Leo Allatius monumentum Adulitanum cujus initium & hic apponam, cum Plinii locum

lib. 3. transcripsero. Berenice regina topasim primùm oblatam mirè placuisse, & inde factam statuam Arsinoæ Ptolemæi Philadelphi uxori quatuor cubitorum, sacratam in delubro, quod aureum cognominabatur. ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΜΕΓΑΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΣ ΥΙΟΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΑΡΣΙΝΟΗΣ ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ ΤΩΝ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΒΕΡΕΝΙΚΗΣ ΘΕΩΝ ΣΩΤΗΡΩΝ ΑΠΟΓΟΝΟΣ.




8. Naturâ autem benevolentissimus; cùm ex instituto Tiberii omnes dehinc Cæsares beneficia à superioribus concessa principibus, aliter rata non haberent, quàm si eadem iisdem & ipsi dedissent: primus præterita omnia uno confirmavit edicto: nec à se peti passus est. In cæteris verò desideriis omnium hominum obstinatissimè tenuit: ne quem sine spe dimitteret. Quin & admonentibus domesticis, quasi plura polliceretur quàm præstare posset, *Non oportere, ait, quemquam à sermone Principis tristem discedere.* Atq; etiam recordatus quondam super cœnam, quòd nihil cuiquam toto die præstitisset, memorabilem illam meritòque laudatam vocem edidit: *Amici, diem perdididi.* Populum in primis universum tantâ per omnes occasiones comitate tractavit, ut proposito gladiatorio munere, *non ad suum, sed ad spectantium arbitrium editurum se* professus sit. Et planè ita fecit. Nam neque negavit quidquam petentibus: & ut quæ vellent, peterent, ultrò adhortatus est. Quin & studium armaturæ Thracum præ se ferens, sæpè cum populo & voce & gestu, ut fautor, cavillatus est: verùm majestate salvâ, nec minus æquitate. Ne quid popularitatis prætermitteret, nonnumquam * in thermis suis, admisâ plebè, lavit. Quædam sub eo fortuita ac

In thermis suis, admisâ plebe, lavit. In eo superbissimo labro superiori sæculo in Thermis Titi effoso, unde in hortos collium Vaticanarum, quos ob prospectus amœnitatem *Belvedere* vulgò vocant translatus est. Amplissimum est, ex marmore Pario viridi variegato, &

diaphano, *mischium* nuncupant, quòd in eo mixti sunt malachitæ, fardonyches, agathites, cristallus, chalcedonicus, amethystus, cyanus, aliæque gemmæ quibus pretium referri nequit. Dignum vas profecto in quo tantus Imperator lavaretur. Thermas autem Titi ejusque

palatium statuunt in hortis D. Petri in vinculis; juxta quas reperta est an. C. M D VI. absolutissima illa Laocoontis statua de qua sic Plinius, *lib. 36. cap. 5.* Sicut in Laocoonte qui est in Titi Imperatoris domo, opus omnibus & pictura & statuaria artibus preferendum: ingentes ruinæ ædificii magnificentiam etiamnum denotant. Usus Thermarum frequentissimus fuisse apud Romanos nemo nescit, non modò religionis causâ, lavabant enim ante rem sacram, sed valetudinis & conservandæ & restituendæ, ut passim docet Galenus noster, præcipuè *lib. 3. de sanit. tuenda & θεραπευτικῆς, cap. 10.* Tres cellas habebant præcipuas, prima Suda-torium à Seneca nuncupatur, à Dione *πυλαρίθειον*, in qua sicco calore sudorem eliciebant. In altera labrum erat con-

stitutum aquâ tepidâ repletum, lavando corpori: Tertia *frigidaria* dicebatur, in qua & frigidâ se abstergebant & strigilibus quidquid sordium supererat mundabant. Vnctioni deinde dabant operam oleis scilicet pretiosioribus in guttis gestari solitis, Rhodino, Cyprino, Myrrhino aliisque à Galeno, Theophrasto, Dioscoride, fusè commemoratis: Quo revocatur hæc Plinii *lib. 22. cap. 24.* narratiuncula. Centesimum annum excedentem Pollionem Romulum Divus Augustus hospes interrogavit quânam maximè ratione vigorem illum animi corporisque custodisset, at ille respondit, *intus mulso, foris oleo.* quò superbia thermarum solitùsque lavandi mos innotescat, labri figuram, cujus formæ multa Romæ vidi, ex Boissardo hic palàm facere libet.



tristia acciderunt: ut conflagratio Vesevi montis, in Campania: & incendium Romæ, per triduum totidémq; noctes: item pestilentia, quanta non temerè aliàs. In his tot adversis ac talibus, non modò principis sollicitudinem, sed & parentis affectum unicum præstitit: nunc consolando, per edicta: nunc opitulando, quatenus suppeteret facultas. Curatores restituendæ Campaniæ è Consularium numero sorte duxit. * Bona oppressorum in Vesevo, quorum heredes non exstabant, restitutioni afflictarum civitatum attribuit. Urbis incendio nihil, nisi sibi publicè periisse testatus, cuncta prætoriorum suorum ornamenta operibus ac templis destinavit: præposuitque complures ex equestri ordine, quò quæque maturiùs peragerentur. Medendæ valetudini, leniendisq; morbis, nullam divinam humanámque opem non adhibuit, inquisito omni sacrificiorum remediórúmque

Bona oppressorum in Vesevo restitutioni afflictarum civitatum attribuit. Magnificentiam certè maximam, sed cujus in Numismatibus nullum exstat monumentum. Montem in averfis Titi nummis sculptum ex hoc Autoris nostri loco interpretati sunt de Vesevo, qui profus de Argæo intelligendus est. Præter quod enim nihil Vesevum declararet, plures possideo Impp. Roman. nummos monte signatos, cum hac inscriptione, ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ, addito interdum ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ nomine. Et quod rem extra controversiam ponit, sic inscript^o reperitur ille mons in nummo Veri apud Reginam incomparabilem, ΑΡΓΑΙΩ ΕΤ. Β. Concedantur ergo omnes illi Argæo monti in Cappadocia ad quem condita est Cæsarea, ἢ πρὸς τῷ

ΑΡΓΕΙΩ Καίσαρεια legitur apud Sozomenum, lib. 5. cap. 4. & expressiùs πρὸς τῷ ΑΡΓΑΙΩ ὄρει. Sic apud Plinium, lib. 6. cap. 3. Et sub monte Argæo Μαζακα, qua nunc Cæsarea nominatur. Eadem ferè Strabo, lib. 12. cùm Argæum omnium altissimum montem nominat. Potuissim ad illustrandum argumentum eos proferre nummos qui montem Argæum referunt sub diversis Imperatoribus, à quorum & sculpturâ & recensione jam mihi tēpero, id modò liceat nunc indicare nummum in magnificentissimo quodam cimeliarchio servari, monte signatum cum Orthonis nomine, quem Titum sed supposititiè referre certum est, non quidem Vesevi, sed Argæi typo insignitum, additâ frequenti hâc epigraphe ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ ΕΤ. . .

genere. Inter adverſa temporum , & delatores mandatorésque erant , ex licentia veteri. Hos affiduè in foro flagellis ac fuſtibus cæſos, ac noviffimè traductos per Amphitheatri arenam , partim ſubjici in ſervos , ac venire imperavit : partim in aſperrima inſularum avehi. Utq; etiam ſimilia quandóq; auſuros perpetuò coërceret, vetuit inter cætera , de eadem re pluribus legibus agi , quærive de cujuſquam defunctorum ſtatu , ultra certos annos.

9. Pontificatum maximum ideò ſe profeſſus accipere, ut puras ſervaret manus , fidem præſtitit : nec auctor poſthac cujuſquam necis , nec conſcius , quamvis interdum ulciſcendi cauſſa non deeſſet, ſed *periturum ſe potiùs, quàm perditurum* adjurans. Duos patricii generis convictos in affectatione Imperii, nihil ampliùs, quàm ut deſiſterent monuit, dicens *Principatum fato dari* : ſi quid præterea deſiderarent, promittens ſe tributurum : & conſeſtim quidem ad alterius matrem , quæ procul aberat , curſores ſuos miſit, qui anxie filium ſalvum nuntiarent. Cæterùm ipſos non ſolùm familiari cœnæ adhibuit, ſed in ſequenti die gladiatorum ſpectaculo circa ſe ex induſtria collocatis, oblata ſibi ornamenta pugnantium inſpicienda porrexit. Dicitur etiam cognitâ utriusque geniturâ, *imminere ambobus periculum* affirmaffe , *verùm quandóque eſt ab alio* : ſicut evenit. Fratrem inſidiari ſibi non deſinentem , ſed pænè ex profeſſo ſolicitantem exercitus , meditantem fugam, nec occidere neque ſeponere, ac ne in minore quidem honore habere ſuſtinuit : ſed, ut à primo Imperii die, conſortem

successoremq; testari perseveravit: nonnunquam secreto lacrymis & precibus orans; *ut tandem mutuo erga se animo vellet esse.*

10. Inter hæc morte præventus est, majore hominum damno, quàm suo. Spectaculis absolutis, in quorum fine, populo coram ubertim fleverat, Sabinos petit aliquantò tristior: quòd sacrificanti hostia aufugerat, quòdque tempestate serenâ tonuerat. Deinde ad primam statim mansionem febrim nactus, cum inde lecticâ transferretur, suspexisse dicitur, dimotis plagulis cœlum, multumque conquestus, *eripi sibi vitam immerenti. Neque enim exstare ullum suum factum pœnitendum; excepto duntaxat uno.* Id quale fuerit, neque ipse tunc prodidit, neque cuiquam facilè succurrit. Quidam opinantur consuetudinem recordatum, quam cum fratris uxore habuerit. Sed nullam habuisse persanctè Domitia jurabat: haud negatura, si qua omnino fuisset: immò etiam gloriatura, quod illi promptissimum erat in omnibus probris.

11. Excessit in eadem, quâ pater, villâ, Idibus Septemb. post biennium ac menses duos, diésque XX. quàm successerat patri, altero & quadragesimo ætatis anno. Quod ut palàm factum est, non secus atque in domestico luctu mœrentibus publicè cunctis, Senatus prius quàm edicto convocaretur, ad Curiam cucurrit; obseratisque adhuc foribus, deinde apertis, tantas mortuo gratias egit laudésque congestit, quantas ne vivo quidem umquam atque præsentî.